



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 254. An & quando possit aut debeat Confessarius pœnitentem  
absolvere sub conditione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

1038

Lib. VI. Pars II.

pœnitentia totaliter recesserunt : unusquisque secundum lumen sibi datum , Poenitentia administret Sacramentum. S. Aug. & S. Th. 3.p.q.80 a.10 ad 3. ajunt, faciat unusquisque . quod secundum fidem suam pri credit esse faciendum : sed ut recte fiat, precibus assiduis est à Deo impetrandum.

1769. Q. 254. An & quando possit aut debeat Confessarius poenitentem absolvere sub conditione. R. Dixi I.6.p.1. à n.78. an licitum sit conditionem, & qualem apponere formæ Sacramenti , quæ hic recoli debent. Ibidem n.83. dixi, an sufficiat conditionem si apponatur, mente retineri. His addes seqq.

§. 1. Absolutio regulariter danda est absolu-  
tè, ut colligitur ex dictis c.6.p.1. à nu. 128. ita  
quidem, ut Confessarius ordinariè absque justa  
causa sub conditione absolvens , secundum  
Castrop. & Stoz I.2.n.85. peccet mortaliter. Ne-  
que semper est justa causa , quia vel judicium  
Confessarii de dispositione pœnitentis est mo-  
raliter certum, vel probabile, vel dubium : Si  
certum, danda est absolute : si probabile vel du-  
biuum, communiter judicandum est in favorem  
pœnitentis , & resolvendum, quod absolute si  
danda, quia etiam in his dubiis melior est con-  
ditio possidentis , pœnitens autem factâ con-  
fessione acquisivit jus ad absolutionem , ergo  
illo privari non debet per subortum quale-  
cumque dubium de dispositione. Si tamen  
Confessarius nequeat se resolvere sed pergit  
dubitare , si causa sit, cur absolvat, absolvere  
tantum potest sub conditione, Sporer nu. 622.  
& alii.

1770. §. 2. Sub conditione danda est absolutio ,  
quandounque est necessitas vel obligatio il-  
lius

ius dandæ, & periculum faciendi Sacra-  
mentum nullum, si detur absolutè: tales autem ca-  
sus sunt varii, uti notant Dicast. d. 5. num. 81. &  
Gormaz p. 2. n. 220. uti 1. si dubites, an pœni-  
tentis jam confessus habeat usum rationis suffi-  
cientem ad peccandum. 2. Si dubites, an per  
confessionem data sit materia sufficiens abso-  
lutionis: tum tamen melius est petere certum  
peccatum ex priori vita. 3. Si pœnitens non  
potuerit vel noluerit fateri alia peccata præ-  
terquam dubia. 4. Si dubites de dispositione  
sufficiente pœnitentis jam confessi. v. g. an fin-  
cerum dolorem vel propositum efficax habeat,  
an integre fit confessus, eò quod neget morta-  
le, quod probabiliter putas eum commississe. 5.  
Si dubites, an antea formam bene expresseris,  
secundum dicta l. 6. p. 1. à n. 123. 6. Si dubites,  
an pœnitens, qui confessus est, adhuc vivat. 7.  
Si moribundus sit absolvendus, qui nunc nulla  
possit dare signa doloris, uti dictum est à num.  
1156. *Ratio horum omnium est, quia in ultimis*  
duobus casibus exigit charitas, ut optimo mo-  
do consulatur saluti proximi: in prioribus au-  
tem, habet præterea pœnitens jus aliquod per  
confessionem acquisitum ad absolutionem,  
estque in possessione illius juris, quamdiu non  
probatur esse incapax vel indignus, ergo talis  
absolutio debet dari, qualis dari potest sine ir-  
reverentia Sacramenti, quæ salvatur, si detur  
conditionata, ergo. Rectè tamen addunt o-  
mnes, ut absolvere possis sub conditione de-  
bere esse prudens dubium circa illa, quod etiam  
dixi l. 6. p. 1. à n. 129.

§. 3. Si pœnitens afferat sola dubia venialia, 1771,  
neque sit prudens timor de mortali, Sporer nu.

56. putat nequidem sub conditione absolvere  
dum, alioqui fore irreverentiam, cùm nulla sit  
necessitas, nam si doleat de illis venialibus, re-  
mittentur per hunc dolorem & benedictionem  
Sacerdotis: si non doleat, malè daretur  
absolutio: Neque videtur pœnitens hic haber-  
jus ad absolutionem, eò quod non det mate-  
riam certam aut necessariam. Alii tamen con-  
cedunt absolutionem sub conditione, uti dice-  
tur n. 1797. Quod si lucrari deberet Indulgen-  
tias, rectè absolvitur sub conditione, ne for-  
illis privetur, cùm probabile sit confessionem  
requiri inter opera pro Indulgentiis, uti di-  
ctum est n. 1414. De absolutione puerorum dic-  
cam n. 1797. De absolutione rudium, à n. 1803.

1772. Q. 255. Quid dicendum sit de illis Confessariis,  
qui cogunt pœnitentes, ut sibi tantum confiteantur.  
De illis rectè dicit Rayn. in Heter. Tom. 16. l. 1.  
pu. 9. n. 35. Ad invidiam, perinde ac sponsi, concu-  
piscunt: quas semel rexerunt animas, & ut apud  
alios peccata exonerent, graviter ferunt ac videntur  
insanire, quæ est indignissima, ut quam mitissime dic-  
cam, agendiratio. f. Sanch. d. 29. n. 4. ait, Sun-  
Confessariorum non pauci tyranice in hoc sibi usu-  
pantes libertatem à Christo animabus exhibitam. Me-  
ritò Regula 20. Sacerdotum in Societate JESU  
dicit, Si quis uni confiteri solitus, ab eodem alium  
Confessarium adeundi facultatem petierit, vel tanta  
petitia adierit, id sibi gratum esse Confessarius benignus  
ostendat. Et monent AA. communiter cum Bo-  
sco d. 7. l. 7. n. 172. Confessarios non debere in-  
arctare pœnitentes, quia quamvis sit valde ex-  
pediens semper uni confiteri, tamen relinqua-  
da est libertas, ne detur occasio sacrilegiis, cùm  
infirmos pœnitentes sèpe pudeat aliquid fate-